

feriantur, sed etiam abscondita eruantur si alienos opus est cognoscere errores, erige oculos auresque, oro te, et vide atque ausculta utrum aliquis adversus nos de Anaximene et de Anaxagora proferat aliquid; quando jam ne ipsorum quidem multo recentiorum, multumque loquacium Stoicorum aut Epicureorum cineres caleant, unde aliqua contra fidem christianam scintilla excitetur.» Continúa llamando la atención de Dióscoro sobre la necesidad de combatir á los donatistas, maniqueos, arrianos, eunomianos y macedonianos: esto es, dice, lo necesario y no el remover errores ya olvidados: «et olim sopitas lites inani curiositate recoquere.»

San Jerónimo, en el prefacio del libro III de sus Comentarios sobre la carta á los galatas, asegura que hacía más de quince años que no había tomado en sus manos á Ciceron ni cualquiera otro escritor pagano; y un poco más adelante dice: ¿Quién lee ya á Aristóteles? ¿Cuántos son los que conocen siquiera el nombre de los libros de Platon? «Vix in angulis otiosi eos senes recolunt.» (Tomo IV, part. I, fol. 287.)

La historia del jóven á que aludimos en la página 36 la refiere S. J. Crisóstomo. *Adver. oppugnator. vite monast.* (lib. III, n. 11, tom. I, fol. 97).

LECCION X.

Intencion: San Agustin y Santo Tomás.

Respondeo: Dicendum, quod intentio, sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere. In aliquid autem tendit et actio moventis, et motus mobilis: sed hoc quod motus mobilis in aliquid tendit, ab actione moventis procedit. Unde intentio primo et principaliter pertinet ad id, quod movet ad finem... Voluntas autem movet omnes alias vires animæ ad finem, ut supra habitum est, unde manifestum est, quod intentio proprie est actus voluntatis.

Ad primum ergo dicendum, quod intentio nominatur oculos metaphorice, non quia ad cognitionem pertinet, sed quia cognitionem præsupponit, per quam proponitur voluntati finis, ad quem movet: sicut oculo prævidemus, quod tendere corporaliter debeamus... Dicendum, quod voluntas quidem non ordinat, sed tantum in aliquid tendit secundum ordinem rationis, præsupposita ordinatio-

ne rationis ordinantis aliquid in finem. (S. Thomas, 1.^a 2.^æ, q. XII, art. 1.)

Et hic manifestat de mundando corde, se cuncta ista præcipere, cum dicit, *lucerna corporis tui oculus tuus est. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit...* Qui locus sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda, et placere in conspectum Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione superna, fine illo charitatis: quia et plenitudo legis charitas. Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus: quæ si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint. (S. Aug., de serm. Domini in monte, lib. II, cap. XII, tom. III, fol. 1289.)

Más ampliamente expone la misma doctrina en el cap. XXII, fol. 1304, y en su Enarrat. in Psalm. CXVIII, serm. XII, n. 2, tom. IV, fol. 1332.

Gloria y vanagloria: amor de la una y de la otra.

Dicendum, quod in homine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei possidet: et aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit, quod homo se magnis dignificet secundum considerationem donorum, quæ possidet ex Deo: sicut si habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit quod ad perfecta opera virtutis tendat. Et similiter est dicendum de usu cujuslibet alterius boni, puta, scientiæ, vel exterioris fortunæ. Humilitas autem facit quod homo se ipsum parvipendat secundum considerationem proprii defectus. Similiter etiam magnanimitas contemnit alios secundum quod deficiunt à donis Dei. Non enim tantum alius appetitur, quod pro eis aliquid indecens faciat; sed humilitas alios honorat, et superiores æstimat, in quantum in eis aliquid inspicit de donis Dei, unde dicitur in Psalm. XIV, de viro justo. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: quod pertinet ad contemptum magnanimi. Timentes autem Dominum glorificat: quod pertinet ad honorem humilis. Et sit patet, quod magnanimitas et humilitas non sunt contraria, quamvis in contraria tendere videantur: quia procedunt secundum diversas considerationes 2.^a 2.^æ, q. CXXIX, art. 3, ad quartum... Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, honor importat

quandam reverentiam alicui exhibitam in testimonium excellentiæ ejus. Circa excellentiam autem hominis duo sunt attendenda. Primo quidem, quod illud secundum quod homo excellit, non habet homo à seipso, sed est quasi quiddam divinum in eo: et ideo ex hoc non debetur sibi principaliter honor, sed Deo. Secundo, considerandum est, quod illud in quo homo excellit, datur homini à Deo, ut ex eo aliis prosit. Unde in tantum debet homini placere testimonium suæ excellentiæ, quod ab aliis exhibetur, in quantum ex hoc paratur sibi via ad hoc, quod aliis prosit. Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse inordinatum. Uno modo per hoc quod aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem. Alio modo per hoc, quod honorem sibi cupit non referendo in Deum. Tertio per hoc, quod appetitus ejus in ipso honore quiescit non referens honorem ad utilitatem aliorum. Ambitio autem importat inordinatum appetitum honoris: unde manifestum est, quod ambitio semper est peccatum: quæst. CXXXI, art. 1, 0... Respondeo dicendum, quod gloria claritatem quandam significat: unde gloriari idem est, quod clarificari, ut Aug. dicit super Joan. Claritas autem, et decor quandam habent manifestationem: et ideo nomen gloriæ proprie importat manifestationem alicujus de hoc, quod apud homines decorum videtur, sive illud sit bonum corporale aliquod, sive spirituale. Quia vero illud quod simpliciter clarum est, à multis conspici potest, et à remotis, ideo proprie per nomen gloriæ designatur, quod bonum alicujus deveniat in multorum notitiam, et approbationem, secundum quod Sallustius dicit in Catilinario: Gloriari ad unum non est. Largius tamen accepto gloriæ nomine non solum consistit in multitudinis cognitione, sed etiam paucorum, vel unius aut sui solius, dum scilicet aliquis proprium bonum considerat, ut dignum laude: quod autem aliquis bonum suum cognoscat, et approbet, non est peccatum, dicitur enim I ad Corinth., ii. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Similiter etiam non est peccatum, quod aliquis velit bona opera sua ab aliis approbari, dicitur enim Matth., v. Luceat lux vestra coram hominibus: et ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum. Sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat: nam quodlibet vanum appetere

vitiosum est, secundum illum Psal. iv. Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Potest autem gloria dici vana tripliciter. Uno modo, ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta, cum quis quærit gloriam de eo quod non est, vel de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili, et caduca. Alio modo, ex parte ejus, à quo quis gloriam quærit, puta, hominis cujus judicium non est certum. Tertio, ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta, ad honorem Dei, vel proximi salutem, q. CXXXII, art. 1, 0.

La indole de la elocuencia hace más inminente el peligro de caer en el amor de la vanagloria.

Generoso itaque hic opus est animo, qui nostram exiguitatem longe superet, ut inordinatam illam infructuosamque vulgi voluptatem compescat, et auditum eorum ad utiliora transferat, ita ut populus ipsum sequatur, ipsique morem gerat; sed non ille secundum vulgi cupidinem feratur. Id vero nullo modo consequi, possit, nisi hoc utrumque adfuerit, laudum contemptus, et vis dicendi. Nam si alterum absit, aliud ab altero disjunctum inutile efficitur. Etenim si laudes aspernans non proferat doctrinam gratia et sale conditam, despicibilis apud multos evadit, nihil lucri ex illa animi magnitudine referens; sin hac parte strenue se gerens à populari aura vincatur, tum ipsi, tum populo id ipsum accedit detrimenti, cum ex laudum cupidine eo ducatur, cum ad gratiam magis, quam ad utilitatem auditorum concionari studeat. Ac quemadmodum, qui nec laudibus movetur, nec dicendi vi præditus est, is neque vulgi voluptatibus cedere, neque tantillam utilitatem ob imperitiam loquendi afferre potest, ita qui laudum amore capitur, nactus eam facultatem, qua multos ad meliorem frugem reducere possit; mavult tamen delectabilia proferre, dum populares in plaudendo tumultus lucretur. Is itaque qui optimus populi ductor futurus sit, utrumque fortiter teneat oportet, ut ne alterum altero evertatur. Cum enim in medio surgens ea dixerit, quæ ignavos pestringere possint, si deinde labatur et decidat, ac prædicendi impia erubescere cogatur, jam dictorum lucrum statim effluit. Nam qui corripuntur, dum de dictis dolent, nec se alio modo ulcisci possunt, ignorantiam ipsi expo-

brant, ac putantes se ratione opprobria tegere sua... Animi porro magnitudinem non in laudum contemptu tantum exhibere par est, sed ulterius progrediendum, ne imperfectum lucrum accedat. (S. Joann. Chrysost.: *De Sacerdotio*, lib. v, nn. 1 et 3, tom. i, fol. 415.)

Sæpe officium prædicationis assumimus, ut per hoc fraternæ utilitati serviamus: sed nisi placeamus cui loquimur, nequaquam libenter accipitur quod prædicamus. Cumque placere mens utiliter studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit; et quæ à captivitate vitiorum alias curabat eruere, ipsa suis favoribus incipit capta servire. Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumque propositæ utilitatis intentio ad studia privata deducitur, horrendo modo unum idemque opus culpa peragit, quod virtus inchoavit. Sæpe et ab ipsis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit. (S. Greg. Mag.: *Moral.*, pars. II, lib. ix, in cap. ix.—B. Job., n. 37, tom. i, fol. 304.)

Los Santos Padres aplaudidos: su conducta y su doctrina.

Son muy curiosas las noticias que sobre los extremos á que se entregaban los que aplaudian á los oradores cristianos, encontramos en una de las homilias en que San Juan Crisóstomo reprendió severamente á sus intempestivos aclamadores. (Hom. I, in illud vidi Dominum, etc., tom. vi, fol. 95.)

Nam per Dei gratiam puto eos qui congregantur ad centum millia pertingere. (S. Joann. Chrysost., homilia LXXXV, tom. vi, fol. 810.)

Hæc dicta laudatis: sed plausibus, tumultu, et sonitu non opus est mihi. Unum volo tantum, ut cum quiete et sagaci attentione quæ dicuntur audientes, dicta exequamini. Hoc mihi plausus et laudis loco est. Si vero ea quæ dicuntur audias, et non facias ea quæ laudas, majus erit supplicium, gravior accusatio, nobisque pudor et irrisio. Non enim theatrum sunt hæc, non tragædos nunc spectatis, ut solum plaudatis. Magisterium est hoc spirituale. Quapropter unum studium est, ut quæ dicuntur opere compleatis, et obedientiam gestis commonstretis. Tunc enim omnia assecuti erimus: at nunc pene desperare cogor. Nam et privatim eos qui me convenerunt

hæc monere non cessavi, et vobis in commune locutus, nihil tamen hinc fructus hætenus perceptum video: sed vos primis adhuc elementis hærentes cerno: quod sane maximum potest docendi fastidium generare. Continúa el Santo Doctor con una vehemente obyurgacion, á causa del poco fruto que á su parecer producía su predicacion. (Hom. XVII in Math., n. 7, tom. vii, fol. 232.)

Quid enim mihi laudes prosunt, cum vos in virtute facere progressus non videam? Quod vero mihi damnum oritur ex silentio auditorum, cum vestram augeri conspiciam pietatem? Laus quippe dicentis est, non applausus, sed auditorum in pietate zelus ac studium; non tumultus excitatus, quo tempore sermo auditur, sed studium ac diligentia, quæ omni tempore exhibetur: applausus ex ore simul egreditur, et in aërem diffusus interit; quod autem meliores fiant auditores, incorruptam et immortalem cum dicenti, tum obtemperantibus mercedem affert. Clamor vestri commendatio illustriorem oratorem hic reddit; at animæ vestræ pietas multam apud tribunal Christi doctori fiduciam acquirit. Itaque si quis eos qui sermonem habent, diligat, non applausus, sed utilitatem diligat auditorum. (S. Joann. Chrysost. in illud. «Si esurierit inimicus, etc.» n. 1, tom. iii, fol. 157.)

Véase sobre lo mismo el n. 1 de la Hom. I in Genesim, tom. iv, fol. 2.

Se ocupa en el mismo asunto más extensamente, y con gran celo en la Hom. XXX in Acta Apost., nn. 3 y 4, tom. ix, fol. 238.

Quid ergo mihi hodie maxime faciendum, nisi ut commendem vobis periculum meum, ut sitis gaudium meum? Periculum autem meum est, si attendam quomodo laudatis, et dissimulem quomodo vivatis. Ille autem novit, sub cujus oculis loquor, imo sub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quam stimulari et angui quomodo vivant qui me laudant. Laudari autem à male viventibus nolo, abhorreo, detestor: dolori mihi est, non voluptati. Laudari autem à bene viventibus, si dicam nolo, mentior: si dicam volo, timeo ne sim inanis appetentior quam soliditatis. Ergo quid dicam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in laude humana perincliter: non plene nolo, ne ingrati sint quibus prædico. (S. Aug., serm. CCCXXXIX, tom. v, folio 1480.)

Manifestatur enim virtus prædicantium ubi s' argit se-

ges animarum. (S. Greg. M., Epist. VIII, tom. II, fol. 855.)

Véase lo que dicen S. Agustín, de serm. Dom. in monte, lib. I, capítulos VI y VII, tom. III, fol. 1237.—S. Gregorio M., in Ezech., lib. I, hom. XII, núm. 17, tom. I, fol. 1289.—S. Isidoro de Sevilla, *Sentent.*, lib. III, capítulo XLI, nn. 3 y 4, tom. II, fol. 123.

Sinsabores del orador que ama la vanagloria.

Quandoquidem si quis casibus hujusmodi animo deiciatur, his nunquam poterit quidpiam generosi vel admirandi præstare. Nam mœror animæ assiduæque sollicitudines, animi vim prosternere possunt, et in extremam imbecillitatem deducere. Sit igitur oportet sacerdotem erga subditos affectum esse, ut pater est erga tenerrimos filios: ac quemadmodum illis nec insolescentibus, nec percutientibus, nec flentibus commovemur; sed neque cum nos effusis cachinnis irriserint, admodum curamus: ita nec horum vel laudibus intumescere, vel vituperiis dejicit oportet; cum hæc illi intempestive faciunt. Grave illud est, o vir beate! imo tale fortasse puto, quod præstari non possit. Siquidem laudatum hominem non gaudere, nescio an cuiquam vel magna virtute prædito acciderit. Gaudentem vero necesse videtur in desiderare unde gaudio fruitur, desiderantem porro gaudio frui, prorsus necesse est, si id non consequatur, dolere, torqueri, cruciari ac mœrore affici. Quemadmodum enim ii, qui in divitiis lætantur, si quando in paupertatem decidant, ægre ferunt: et qui delicatis cibis assueverunt, numquam patientur tenui uti victus ratione; sic et laudis amatores, non modo cum temere vituperantur: sed etiam cum non assidue laudantur, ceu fame quadam contabescunt; maxime si in ipsis laudibus educati fuerint, aut si alios laudari audierint. Qui vero cum tali cupidine in doctrinæ certamen descenderit, quam multis illum negotiis, quam multis doloribus obnoxium fore putas? Neque mare unquam potest fluctibus carere, neque illius animus sollicitudine et mœstitia. Nam si is fuerit magna dicendi vi præditus, hoc autem in paucis invenitur, ne sic quidem ab assiduo animi mœrore vacuus erit. Etenim cum eloquentiam non natura; sed disciplina pariat, licet ad summum ejus apicem quis pervenerit; ab illa certe destituetur, nisi assidue studio et exercitatione illam excoluerit: ita ut magis peritiori-

bus, quam imperitioribus sit laborandum. Neque enim par jactura utrosque, si negligentes fuerint, manet; sed tanto major hæc, quantum est inter peritiam et imperitiam intervallum. Atque illos quidem nemo culpaverit, si nihil eximium attulerint; hic vero nisi quidpiam majus existimatione, qua valet apud omnes, semper protulerit, in omnium reprehensionem incurrit. Ad hæc, illi pro modicis concionibus, magnam consequuntur laudem; hi vero nisi mirabilia et stupenda proferant, non modo laudibus privantur, sed etiam à multis redarguuntur. Auditores quippe non tam de concione, quam de concionantis existimatione sedent judices. Quapropter ubi quispiam universos vi dicendi superat, tum illi plus, quam cæteris, studio laboreque opus est. Neque enim licet illi id perpeti, quod toti humanæ naturæ commune est, ut scilicet non semper in omnibus probe rem gerat: sed si illa quæ concionando dicit, cum famæ magnitudine non non consentiant, scommata dicteriaque à multitudine refert. Nemo secum reputat, aut incidentem mœrorem, aut angustiam animi, vel sollicitudinem, vel persæpe iram, mentis aciem tenebris offudisse, neque sivisse sensa ejus pura sinceraque prodire: atque homo cum sit, non posse semper eum ipsum esse, neque in omnibus prospere agere, sed quod fieri solet, accidere ut nonnumquam labatur, ac minora, quam pro solita virtute, exhibeat. Nil horum, ut dixi, cogitare volunt: sed ac si de Angelo judicium ferrent, ita ipsum redarguunt. Alioquin vero solet homo præclara proximi sui gesta, quantumvis multa et magna despiciere: si autem vitii quidpiam appareat, quantumvis leve sit, quamvis jamdiu acciderit, statim dignoscitur, confestim arripitur, et numquam è memoria excidit: atque illud per quam tenue exiguumque, multorum magnorumque virorum sæpe famam imminuit.

Vides, o vir generose! eum qui vi dicendi prælitus sit, majore sollicitudine opus habere: ac præter studium tanta tolerantia indigere, quanta non omnes, quorum prius memini, opus habuere. Nam multi sæpe illum temere adoriuntur, et cum nihil criminis offerri possit, non aliam odii causam habent, quam quia apud omnes bene audit. Horum invidiam fortiter ferre par est: nam execrandum hujusmodi odium, quod temere conceperunt, cum tegere non valeant, clam convitiantur, incusant, calumniantur, palamque malitiam exercent. Ani-

mus autem qui ad illa singula dolere atque irritari cœperit, non ultra progredi potest, sed dolore contabescit. Etenim non per se tantum se ipsi ulciscuntur, sed etiam aliorum utuntur opera: ac sæpe unum quempiam dicendi imperitum cooptantes, laudibus celebrant, ac supra meritum admirantur; alii furore ducti, alii imperitia simul et livore impuls; non ut mirabilem exhibeant eum, qui talis non est; sed ut hujus gloriam de medio tollant. Neque adversus istos tantum athletæ illi certamen est; sed plerumque adversus totius populi imperitiam. Quia enim fieri nequit, ut totus cætus ex litteratis viris coaluerit, sed magna Ecclesiæ pars ex idiotis constat: reliqui vero illis sagatiores quidem sunt, sed ab iis, qui de dicendi facultate judicium ferre valent, tantum numero distant, quantum iidem à reliquis omnibus: unus scilicet vel alter sedet hac præditus facultate, necesseque est ut qui eloquentius dixerit, minorem sibi plausum conciliet, et aliquando sine laude discedat. Sane contra hujusmodi inæquabilitatem animum generose præparare decet, iisque parcere qui per ignorantiam illud agunt, eos autem, qui per invidiam, ut miseros infelicesque deplorare, à neutroque horum quidpiam putare à sua vi dicendi esse detractum. Neque enim si optimus pictor, qui omnes in hac arte præcellat, per quam diligenter à se depictam imaginem, ab imperitis derideri videat, ideo debet animo concidere, nec imperitorum iudicio picturam parviducere, quemadmodum neque picturam quæ nihil sit, ex imperitorum admiratione magni facere. Nam optimus artifex, ipse suorum opificiorum iudex esto, et pulchra fœdave illa existimet, cum mens eadem, quæ illa edidit, hunc calculum feret: aliorum autem opinionem erroneam et artis imperitam, ne quidem in mente reponat. (S. Joann. Chrysost.: *De Sacerdotio*, lib. v, nn. 4, 5, 6, 7; tom. i, fol. 417.)

Más adelante copiaremos otro pasaje del Santo Doctor, del que hemos extractado también unas palabras en la pág. 42.

San Agustín narra con encantadora naturalidad que oía los sermones de San Ambrosio no más que por el placer que le causaban, y cómo Dios se sirvió de este medio para hacerle amar la verdad. «Et studiose audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam... et verbis ejus suspendebam intentus; rerum autem incuriosus et comptentor adsta-

bam; et delectabar suavitate sermonis... veniebant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam... Et dum cor aperire mad excipiendum quam diserte diceret, pariter intrabat et quam vere diceret... (*Confes.*, I, lib. v, capítulos XIII y XIV, tom. I, fol. 717.)

Sobre el recto fin con que el orador ha de procurar agradar á sus oyentes, puede verse lo que dicen San Juan Crisóstomo, San Agustín, San Gregorio M. y Santo Tomás, cuyas palabras nos impide copiar la mucha extensión que va tomando esta lección. (San Juan Crisóst.: *De Sacerdot.*, lib. v, n. 8, tom. I, fol. 419.—San Agustín: *De Doctr. Christ.*, lib. IV, cap. XXV, tom. III, fol. 116.—San Greg. M.: *Regula*, part. II, cap. VIII, tom. II, fol. 28.—Santo Tomás, 2.^a 2.^{ae} q. CLXXVII, art. 1.)

Temores de San Agustín.

Quando quidem lego, et audio, «Nolite multi magistri fieri, fratres, quoniam majus iudicium sumitis: in multis enim offendimus omnes. Lavi pedes meos; quomodo inquinabo eos? Sed ecce surgo, et aperio. Christe, lava eos, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non est extincta charitas nostra: quia *et nos dimittimus debitoribus nostris*. Quando te audimus, exultant tecum in cœlestibus ossa humiliata (Psal. L, 10.) Sed quando te prædicamus, terram calcamus ut ibi aperiatur: et ideo si reprehendimur, perturbamur; si laudamur, inflamur. Lava pedes nostros ante mundatos, sed cum ad aperiendum tibi per terram pergimus, inquinatos. Hæc vobis hodie satis sint, dilectissimi. Si quid secus quam oportuit dicentes fortassis offendimus, vel laudibus vestris immoderatus quam oportuit elevati sumus, impetrate mundationem pedibus nostris, Deo placentibus orationibus vestris. (S. August., in Joan., tract. LVII, n. 6, tom. III, fol. 1792.) Véase el n. 2 del mismo discurso, fol. 1790.

El Santo Doctor expresa los mismos temores en muchas ocasiones. Exposit. Epist. ad Galat., cap. VI, tom. III, fol. 2145.—Enarrat. in Psalm. LXXVI, n. 10, tom. IV, folio 812.—Serm. XXIII, nn. 1 y 2, tom. V, fol. 155.

El celebrado sermón de Masillon sobre LA PALABRA DIVINA, que hemos citado en la pág. 43, es el del primer domingo de Cuáresma: está en la pág. 449 del tomo XLII de la Colección de M. Migne.

Exhortacion del Crisóstomo.

Verum sermonem suum ad Dei placitum concinnans; hæc enim ejus norma, hic terminus artificii debet esse, non plausus vel laudes; si quidem ab hominibus etiam laudetur, laudes nec rejiciat; sin laudes ab auditoribus non referat, ne quærat illas, nec ideo doleat. Laborum quidem solatium illud satis erit, omniumque maximum, si conscius sibi fueri, se ad Dei placitum doctrinam concinasse suam. (S. Joan. Chrysost: *De sacerdot.*, lib. v, n. 7, tom. 1, fol. 419.)

Las palabras de San Jerónimo, con que termina la leccion X, están tomadas de la Epist. LXXXVI ad Eustoch., tom. iv, part. segunda, fol. 671.

LECCION XI.

El amor de la vanagloria perturba al orador, y le hace errar el camino.

Propterea ignoscite, quæso, quod sermo ha in re longius excurrat. Multi multa faciunt, ut in medio stantes longum proferant sermonem: et si plausum multitudinis assequatur, perinde gaudent ac si regnum obtinuisent: si vero cum silentio dicendi finem faciant, gehenna ipsis gravius et onerosius est tale silentium. Hoc Ecclesias subvertit, quod vos non quæratís verba compunctionis; sed quæ oblectent, et sono et verborum compositione, ac si cantores et citharædos audieritis. Et nos frigide ac misere vestros affectus sequimur, quos excindere oporteret. Idipsumque facimus, ac si pater molli puero, etsi infirmanti, frigidam placentam; et quæ solum oblectant, porrigat; utilium vero nullam curam habeat. Deinde à medicis objurgatus ad excusationem dicat: Qui faciam? Flentem puerum ferre nequeo. Miser, infelix et proditor. Neque enim hunc patrem dixerim. Quam melius esset, illum parvo tempore tristitia affectum, perfectæ sanitati restituere, quam temporaneam gratiam perpetui mæroris causam facere! Hoc et nos facimus, dum elegantem orationem frustra quærimus, harmoniamque, ut placeamus, non ut proximis: ut admirationi habeamur, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; ut cum plausu et laudibus disce-

damus, non ut mores componamus. Credite mihi, non abs re dicenti, cum prædicans laudibus excipior, illo quidem tempore humanum quid patior. Cur enim vera non dixerim? Lætor et effundor: ubi vero domum reversus, cogito plaudentes nullum excepisse fructum; sed si quid utilitatis accipiendum erat, illud ex plausu et laudibus periisse, discrucior et ingemisco, lacrymor, ac si omnia frustra dixerim ita affectus, mihi que ipsi dico: Quæ mihi ex sudoribus utilitas, cum auditores nihil ex verbis meis utilitatis percipere voluerint? Sæpeque cogitavi legem proferre plausus prohibentem, et persuadere vobis ut cum silentio audiatis, et cum decenti modestia. Sed sustinete, quæso, et credite mihi: ac si placet, hanc firmemus legem: ne cui auditorum liceat loquentem plausibus interpellare: sed si admirari voluerit, silens admiretur: nemo prohibebit; omnis cura omne studium sit, ut dicta excipiantur. Quare applausistis? Hac de re legem pono: vos vero ne audire quidem sustinetis. Id multorum causa bonorum erit, philosophiæque disciplina. Externi philosophi disserebant, nemine unquam plaudente; et Apostoli concionabantur, neque uspiam legitur, ipsos loquentes ab auditoribus fuisse plausu interpellatos. Magnum hoc nobis lucrum erit: sed stabiliamus illud, et cum silentio omnes audiamus, omniaque dicamus. Etiam si post plausum discederemus, quæ audivimus retinentes, neque sic etiam utilis laus esset. Verum non ulterius disquiram, ne quis me rusticitatis accuset. Quia vero nihil hinc lucri, imo potius damnum, solvamus impedimentum, animæ saltus illos tollamus excindamusque. Christus in monte concionatus est; et nemo quidpiam dixit, donec finem dicendi fecit. Nihil damni facio iis qui plaudere vellent, imo id efficio ut magis admirentur. Multo melius est cum silentio audientem, in mente et memoria omni tempore plaudere domi, in foro, quam amissis omnibus domum redire vacuum, nullam habentem plausuum causam. Quomodo enim non ridiculus erit auditor? Quomodo non adulator et irrisor putabitur, qui recte loquentem esse doctorem declarat, nec quid dixerit proferre potest? Hoc adulationis est. Nam ei qui citharædos et tragædos audit, id jure accidit, utpote qui nesciat similia proferre. Ubi autem nec cantus nec modulatio adest, sed sententiæ solum et philosophiæ virtus, quæ cuivis dicere et enunciare facile est, quomodo non dignus objurgatione est, qui ne causam quidem dice-